



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R.P. Francisci Arias, Societatis Iesv Theologi, De Oratione
Mentali Et Mysteriorvm Vitae D.N. Iesv Christi &
benedictae Matris eius meditatione**

Arias, Francisco

Coloniae Agrippinae, 1616

V. De negligentia qua conscientia ante confessionem discutitur, &
incommodis inde prouenientibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48934)

CAPVT V.

De negligentia qua conscientia ante confessionem discutitur, & incommodis inde prouenientibus.

Quamuis homines deuoti, qui se Deo sæpius reconciliari consueuerunt, communiter in conscientia sua debito modo examinanda, minimè negligentes sint, ut ipsorum confessio valeat, nec opus sit illam repetere: nihilominus tamen multis incuria quædam singularis est, quæ pœnitentiæ fructum retardat. Illa autem est, quòd conscientiam ante confessionem valdè leuiter percurrant, nec animarum suarum penetralia ingrediantur, nec multorum peccatorum latentium curam agant; quæ etsi valdè graua sint, non tamen illa cognoscunt, nec confitentur, quia malitiam occultam habent, vel virtutis similitudinem præ se ferunt.

Ad hanc rem, quæ magni momenti est, intelligendam, considerandum est, quædam peccata ex malitia fieri; ea nimium quæ homo talia esse cognoscit, & scienter admittit, etiam si ab aliqua passione non magna incitetur; quædam ex infirmitate fiunt, ea videlicet, quæ

quidem vt talia cognoscit, sed à passio-
 ne aliqua aut vehemēti tentatione in-
 ductus committit: alia per ignorantia,
 quorum natura hominem latet. Cum
 ergo omnem diligentiam adhibet, vt
 ediscat aut intelligat, quod ipsum scire
 conuenit; & tamen nullum inuenit qui
 doceat, à peccato excusatur: verum
 cum non studet vt sciat, interrogando
 ac consulendo illos quos deberet, neq;
 medijs necessarijs utitur vt à Deo il-
 luminetur, & in eo quod facere tene-
 tur ab hominibus instituitur, nullus
 excusationi locus relinquitur, si quid
 committit quod peccatum sit, & con-
 tra præceptum sub peccati mortalis
 poena obligans facit, transgressio ip-
 sius mortalis erit; Sin contra venialis
 culpæ mandatum agit, eius delictum
 pariter veniale censebitur, quamuis
 non tam graue, quàm si ex malitia
 scientiaque perpetrasset. Hæc nobis in
 constitutione quadam Ecclesiastica
 his verbis à S. Augustino ostenduntur:
*Non omnis ignorans immunis à pœna est: ille
 autem ignorans potest excusari à pœna, qui à
 quo disceret non inuenit: quod scire non stu-
 duit, & quod dignam facultati comparandæ
 ad rectè faciendum operam non dedit; hoc a-
 nima deputatur in reatum.*

August. de
 vet & non
 Test c 67.
 De lib arb.
 ca. 22. 1qm.

E §

Ex

Ex quo sequitur multos Christianos in graui peccata lapsos esse, quamuis ob socordiam ignorantia laborassent, & quia ipsos latebant, nequaquam confitebantur: imò quidam vsque ad eò mente capti sunt, vt se viam virtutis tenere, & recta ad cœlum tendere pro certo arbitrentur, cum interim ab illo deflectant, & directo itinere ad æternam damnationem descendant. Quapropter benè Sapiens ait: *Est via que videtur homini recta, & nouissima eam ducunt ad mortem.* quasi dicat: Quidam inter homines viuendi modus est, qui iustus apparet, quædam opera sunt, mores & conuersationes, quæ bonitatis speciem præ se ferunt, sed ante Deum nullam prorsus habent: quia illis permixta sunt peccata, quæ ad ruinam pertrahunt. Quæ sint autem ista, & quibus remedijs occurrendum sit, in sequentibus ostendemus.

CAPVT VI.

De quibusdam peccatis, quæ ex ignorantia committuntur, & multi ignorant, nec confitentur: quia id discere negligunt, quod sciunt tenentur; & de socordia in caritatibus & iustitie operibus.

VI